

5. † Fr. I. Carolus (Reginaldus) Greenall (1876-1939)

Suae vocationis historiam prorsus singularem ipse Fr. Reginaldus texuit. Ecce narrationis summa.

Carolus Greenall erat filius ministri anglicani, natus in Anglia, in loco Stockton Heath Vicariage, comitatus Cheshire, festo Annuntiationis a. 1876. Recepit bonam in iuventute educationem et instructionem, inclusa institutione celebris Universitatis Oxoniensis (*Oxford*); pater enim exoptabat Carolum suum in munere successorem. Id vero contrarium erat inclinationi filii, qui laborem manualem studio praeferebat.

Hanc occupationem materialem primum frustra quaesivit a. 1897 in Africa Meridionali et anno insequenti in Canada, ubi laborabat in variis praediis (*farms*) et in viis ferratis provinciae Manitoba. Eo tempore Carolus ab omni praxi religiosa alienus vivebat, licet etiamtum in Deum crederet.

Mense Decembri 1901, minus commoda gaudens valetudine, cogitavit de adeundo presbytero aliquo catholico, quamvis ipse nesciret quid ei dicturus esset. Certo certius haec cogitatio fuit specialis gratia Dei, quae d. 23 Decembris eum impulit, ut inter intensos hiemis canadensis frigores per altas nives ad oppidum Oak Lake se conferret. Inventa ibi sacerdotis catholici habitatione, circum eam ibat (id quod ab ipso sacerdote per fenestram notabatur), sed intrare non est ausus; erat enim ille natione Gallus, cuius lingua a Carolo ignorabatur.

Insequenti die, in vigilia Nativitatis Domini, mane per viam ferream in Brandon se contulit, ubi tunc temporis erat hospitium nostrae Vice-Provinciae Canadensis a Provincia Belgica dependentis. Iuvenis noster 25 annorum per totam diem vagabatur per urbem et tandem interrogavit, ubi presbyter catholicus habitaret. Reperta nostra domo, per horam circiter ante portam deambulabat, intrare non ausus; et iam voluit abire, cum ipsum Superiore sibi obviam habuit. «Esne tu P. (Gulielmus) Godts?» «Ita quidem, et quid tu desideras?» «Velim tecum loqui», sed neque illo momento sciebat, quid ei dicturus esset. Vix tamen limen domus intrat, cum velamen quoddam ab oculis mentis auferri sentit, et subito exclamat: «Volo fieri catholicus!» P. Godts valde miratur, at factis nonnullis interrogationibus declarat: «Ulteriore instructione opus non est. Tu in Ecclesiam catholicam recipi potes». Videtur itaque Carolus, qui nunquam antea cum sacerdote catholico locutus erat, nunquam in nostra religione instructus erat, similem gratiam recepisse ac celeberrimus Alfonsus Ratisbonne, videlicet infusam veritatum revelatarum cognitionem.

Revera iam d. 7 Ian. 1902 in sinum verae Ecclesiae Christi receptus est, et eodem vespere petiit suam in Institutum nostrum admissionem qua humilis Frater serviens. Haesitanti P. Godts: «Saltem me sumite (inquit) ad experimentum una habdomade; tum, si vobis non placeo, me dimittite». Admissus est kal. Martii. In vestitione nomen Reginaldum accepit. Vota religiosa perpetua nuncupavit 24 Maii 1908, eisque fidelis mansit usque ad mortem.

Usque ad a. 1912 vixit in Vice-Provincia, quae eum receperat, exinde, cum esset idiomatis anglici, in nova Vice-Provincia et Provincia Torontina. Mortuus est Marianopoli in collegio S. Annae 16 Apr. 1939.

Cum Fr. Reginaldus sui intellectus dotibus suaque institutione academica ceteros Fratres laicos superaret, passim ei occupatio paulo nobilior committebatur, veluti tamquam «Office Brother». Quam accuratissime

suum officium exsquebatur, ita ut examinator librorum paroecialium archioecesis Marianopolitanae quondam declararet, non inveniri libros paroeciales melius conscriptos quam libros Fratris Reginaldi. Ex quo tempore Torontum venit (1933), usque ad eius mortem fere in omni numero periodici nostri *The Eikon* legebatur aliquod poëma lyricum signatum *Brother Reginald*. Semper servavit hic religiosus cultus humanitatisque particeps genuinum spiritum humilis obedientisque Fratris coadiutoris.

Ad eum mors venit, ut saepe accidit, subitanee. Mane illius diei h. 8.45 R. P. Ios. Gallagher, Marianopoli in Woodstock profecturus, ad Fr. Reginaldi cubiculum venit valedicendi gratia, sed mortuum invenit. Mors accidisse creditur versus h. 6. Postea quedam Superiorissa R. Rectori scripsit: « Fratrem Reginaldum novi per 25 annos, et solus Deus scit, quot beneficia ab eo acceperim. Pro certo habeo eum in caelo occupare locum valde altum ».